

Franckesche Stiftungen zu Halle

Schediasma Occasione Ivbilaei Doctoratvs 1718. D. 23. Novemb. Acquisiti, Gratae Recordationis Causa Exaratvm A D. Iohanne Friderico Zehnero Med. ...

Zehner, Johann Friedrich

[Halle], [1768?]

VD18 13457721

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-194465



iuina annuente clementia illuxit mihi festius
 ille dies Iubilaeus, Semiseularis nimirum,
 quo ante praeterlapsos Quinquaginta annos,
 post Dissertationem inauguralem medicam,
 de Colica Haemorrhoidali, more maiorum,
 horis ante: et pomeridianis, in praesentia
 splendidi auditorii, D. Sam. Richteri, Sin-
 ceri Renati dicti, Pottii, (oppositionem extra ordinem minan-
 tium, attamen post inuitationem publicam, mane et vesperi fa-
 ctam, haud prodeuntium,) Franckii, Iaenichii, aliorumque ho-
 noratorum, d. 23. Nouembr. 1718. strenue defensam, contra-
 dicentibus Lic. Andreae, Borschio, Lyssthenio, et Büttnero, di-
 gnitate Doctorali honoratus, mihiq; Iura, Priuilegia, et immu-
 nitates a B. Frid. Hoffmanno, tunc temporis Decano Facultatis,
 ac Prorectore Fridericianae vniuersitatis splendidissimo, per Diplo-
 ma Sigillo Facultatis consignatum, collata et concessa, ac auctori-
 tate Imperatoria et Regia confirmata fuerunt; Eheu nunc obsoleta,
) 2 ignota,



ignota, et a Magistratu Ciuili multipliciter oppressa, laesa, et ex altera parte saepius conuiuentia neglecta.

Rarissimum hunc euentum, ac, nisi me omnia fallant, durante hac illustri Academia Halensi, nemini, hic Promoto, haecenus occurrentem, animaduersioneque haud indignum, mecum perpendenti, incidit in mentem, paucula verba, stylo inexercitato exarata, debitae huic gratiarum actioni humillimae, pro lustro honorabili, decies peruisito, praemittere: de quatuor Faciebus Physico moralibus Medici Practici, et ad hanc breuem contemplationem, beneuolam attentionem, approbationemque submisse expetere, insimulque exoptare.

Lectores, atque Commilitones omnium ordinum honoratissimi, suauissimi: neuiquam de Facie Hippocratica sic dicta Hecticorum, seu deperditorum Pthificorum abominabili descriptionem meam expectabitis; nec de Vultu austero, formidoloso quorundam Galenicorum; nec de aspectu ruminante, formidabili s. d. Adeptorum obscuriorum; nec minus de Laruis deprauatis lue Venerea deperditorum libidinoforum; nec de figuris speciosis Hypocriticis Agyrarum quorundam vana verba faciam; sed tantum de diuersis Medicorum Practicorum, secundum morborum diuersitatem variantibus Faciebus, sermo mihi erit compendiosissimus.

Primam Faciem, Dei nimirum, praesentat Medicus, ad lectum aegroti miserrime decumbentis accersitus, dum aeger ipse, si mentis adhuc compos fuerit, simul cum adstantibus, vel cognatis, de restitutione seu reconualescentia dubii haerent, vel maxime desperare videntur, vel ex vigore morbi apparenter grauioris, vel ex inuasionem duriorum symptomatum, periculum mortis inuitabilis praesagiunt, abhorrent, vel ex alternante intuitu Medici, forsitan pauescentis, extimescunt diffidentes, vel ex inturbato aspectu eiusdem, medelam proxime apparituram expectantes, Dei instar venerantur, Isodeum repetito proclamant, et superstitiose cultu Idololatriae honorant, adorant; fiduciam diuini supremi auxilii plane seponentes aureos insimul montes, et Soteria quam maxima Machaoni, pro alleetamento maioris industriae, promittunt, pollicentur, obligationem vero Datui plerumque
studiose



studiose obliuiscuntur ex deperdita memoria, secundum versus in
Aere scriptura quadam Hug. Allardti inueniendos:

*Dum niger aegrum prope mors circumuolat alis,
Funestamque aciem iam fera iamque parat;
Tum me promissis beat, et domus omnis adorat,
Tum vocat Immensum, me venerata Domus.*

Secunda Angeli tutelaris porro Facies ac Vultus tribuitur Medico et Practico attento, modelloque, tam ab anhelitanter suspirante aegro ipso, quam a mulierculis officiosis, vel aliis nimiam forsitan curatelam fingentibus assistentibus, Propinquis, Vicinis, aliisque blateronibus; siquidem magna cum nominis Angelici celebratione, ac blandiloquentia, vera vel fictitia, eiusdem cura, industriae extollitur, quam primum status aegrotantis aliquantispermeliorationem, siue tantum immutationem capessere incipit, ac restitutionem apparenter succedentem exoptatamque expectare licet, testante Disticho in altera eiusdem auctoris pictura reperiundo:

*Paullum ubi conualuit, paulum de Numine nostro
Cessit, et in nostris auribus ista Sonant:
Tu coelo nobis demissus es Angelus alto!
Praemiae quae Tui, et quanta Laboris erunt?*

Tertia insuper Faciei species saepius obuenit, sub dulcisono nomine Honesti Viri, laboriosi, affabilis, ac aliis inseruiendo se ipsum consumentis Artificis; hinc et actiones eiusdem indefatigabiles maximo cum elogio heroice exaltatae subinde occurrunt, dum ab aegroto reconualecente, et extra lectum degente, infirmo licet adhuc corpore, quam coniunctim a consanguineis, mortem Patientis, Lasciuarum instar, haud expectantibus, sed restitutionem eius summopere deslagitantibus, maximisque sub promissis, aut plerumque vacuis, postulantibus, comprobante sequente Disticho:

*Iamque Machaonia magis et magis arte leuatus,
Cum sedet ante Focum, progrediturue Tripes;
O! Homo! non frustra tantos subiisse labores
Nosces; quod restat Tu modo tolle malum.*



Quartam denique Faciem, proh dolor horrendam nanciscitur, seu formam detestabilem induere cogitur Medicus, nimirum Cacodaemonis s. Diaboli, in oculis non Solum aegrotantium, optime, cito, ac iucunda restitutorum; sed etiam in oribus totius saepe familiae, scrupulosae penuriae, haud dicam auaritiae adfuctae, contumeliose, dentibus Theominis dilaceratur, pessimisque linguis maledicatur, quam primum permodicum Solstrum, vel leuidentse munus, summa opera, perque curam diurnam et nocturnam centies promeritum, suauiter et humaniter exposcere conatur; adeo ut aspectum eius, Satanae instar, non modo absurde abhorreant, obuentionem summopere euitent, effugiant, sed in simul benefactorem, ac restauratorem sanitatis, inanes ob causas, et propter futes et excogitatos praetextus: retardationis nimirum affectus, neglectiois visitationis, inutilium remediorum, eiusdem farinae insipidorum applicatione, et id genus alia, contumeliis, calumniis, ac maledictionibus prosequi haud vereantur, omnemque satisfactionem gratificam denegare non erubescant, adfirmante sequente Disticho huc admodum quadrante:

*Ast ego, si penitus iam Sanum praemia poscam,
Ille Deus pridem, mox Cacodaemon ero.
Cautior exemplo tu, dum dolet, accipe nostro,
Qui Medicae exerces gnauiter artis opus.*

Hinc et distichum notissimum exortum iudico, omnibus Neo-Doctoribus, quibus res Augusta domi, exercitii gratia, pro lubitu derelictum, et in salutem propriam commendandum:

Accipe dum dolet, post morbum Medicus olet.

His itaque Secundum promissa peractis, ad Cardinem huius instituti calamus propinquius accingam: Grates inde hodierna die persoluo quam possum maximas, humillimasque, Diuino Numini, pro donis ac viribus Naturae, ad medicinam practicam legitime exercendam requisitis, necessariis, sufficienter mihi collatis; nec non pro Vigore animi et corporis ad hunc usque diem, anni aetatis septuagesimi sexti, vegete continuantis; pro adiumento et directione actionum mearum in affectibus atrocissimis, morbisque etiam Epidemicis, aliisque maxime contagiosis, Sonticis; pariter ac
pro


pro reliquis beneficiis affatim in me collocatis; beneuolam insuper mihi, vsque ad vitae finem, ex imo corde expetens continuationem durabilem.

Gratias posthac quoque debeo humillimas Diuo Friderico Wilhelmo, Regi nostro olim elementissimo, non solum pro conseruatione floridi huius Halensis Plantarii, seu sustentatione status Vniuersitatis paterna; sed et praesertim ex mea parte, pro concessione ad itinera extranea, pro addiscenda Anatomia puriore, et Chirurgia applicata, (tunc temporis his locis maxime inusitata ac ignota), instituenda, gratiosissime impertita, propriaque manu signata, et per B. Gundelsheimerum, tunc temporis Archiatrum primum meritissimum (cuius Cineres adhuc veneror) beneuole procurata, et per Celsissimum comitem de Finckenstein consignata. Pariter ac post terrarum extranearum perlustrationem, Nosocomiorum indefessam visitationem, fontiumque medicatarum sparsim sufficientem perscrutationem, versus finem anni 1716. rite peractam, pro tutela ac protectione benignissima, validissima.

Gratias etiam insuper publicas, hisce lineolis, referre mihi necessarium esse iudico, gratiosae Facultati Medicae, haecenus florentissimae, pro dignitate Doctorali 1718. hodierna die legitime in me collata, vti et pro iuribus ac immunitatibus, consueto more, sigillo eiusdem confirmatis. Faxit summum Numen, vt in feros vsque annos sufficienter praeparata, atque habilia subiecta, aut plantae Medicae vtitiores, e Viridario huius loci in lucem publicam prodeant, ad Dei honorem, Patriae, et orbis eruditi emolumentum ac ornamentum, sicuti pro subleuamine multorum aegrotorum necessario accommodatissima.

Obstrictissimum me quoque profiteor Collegio medico supremo, quod sub autoritate Regia Berolini versatur, pro beneuola confirmatione et approbatione 1727. d. 20. Febr. legitime impertita. Conseruet Diuina clementia paucissima membra eiusdem, mihi adhuc cognita, quam diutissime in optima Valerudine et splendore, vt maximo Coetui Medicorum nostratium prodesse possint feliciter.

Perpaucis quoque Familiis illis, tam extraneis quam nostris indigenis, sicuti omnibus beneuolentibus Patronis et Favoribus



toribus deuinctum animum obtestor, qui ab initio fere Praxeos assistentiae meae personalis, dum vigorosus adhuc essem, sicut et nunc corpore infirmo, ferme emerito, ac valetudinario, consiliorum meorum domesticorum, et litterariorum beneuole vti fuerunt, continuationeque benigne haecenus honorant, pro fiducia mei gratiosissima, ac beneficiis sufficienter exhibitis. Faxit Deus ter optimus maximus: vt seros in annos optime valeant, successoremque fidum, atque in arte salutari optime peritum, si necessitas postulauerit, post fata mea, forsan cito finita, et scenam meam medicam cum applausu peractam, secundum vora nanciscantur consimilem.

Gratias denique humanissimas referre haud intermittere possum Collaboratoribus ac Collegis meis Suauissimis addictissimisque, sint qui sint, modo rite promotis, ac bene moratis, (de vulgi s. plebis abusue sic dictis Doctoribus, Bullatis, aut Medicamentariis, vel Thraconibus Medicastris, inuerecundis, aut vilioribus eiusdem farinae hominibus, indies proh dolor! accrescentibus, Praxin dehonestantibus, ne Iota dicere lubet) pro amabili confortio, et consuetudinaria conuersatione, candidaque fideli interdum conferentia, et assistentia. Adsit et vobis Diuina clementia in officio vestro permolesto, vt Reipublicae consiliis optimis, et laboribus maxime defatigantibus, permultis aegris succurrere possitis diutissime, haud dicam lucrifice, tantummodo meliora tempora gratiosiora apprecaturus.

Quod restat, et vobis Lectores ac Commilitones amabilissimi, gratissimum offero animum, si leuem hanc, ast ab imo pectoris Serinio prodeuntem gratiarum actionem, breui hoc Schediasmate prolatam, haud improbare volueritis, et festiuium hunc mihi diem vniu. acclamatione concelebrare dignaueritis, me, meaque et in posterum de meliori cordialiter commendaturus.

